Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2665

Quelle:
Copyright:



Peccata aggravantibus, de Articulis Fidei, Impedimentis Matrimonii, ſeptem Sacramentis, Iudicio extremo, 3. dotibus Animae, 4. dotibus Corporis, Peccatis alienis, Decalogo &c. Hiulca, ut plurimum, et plena peccatis metricis. Diſtichon ultimum:

*Larga dei pietas veniam non dimidiabit.*
*Aut nihil aut totum propitiando dabit.*

III. *fol.* 121. absque titulo *Paſſio Chriſti* e IV. Evangeliſtis συγχρονος expoſita initio ducto ab Evangelii *Joh.* C. 13. *Preſens evangelium in tres partes diuiditur, nam agit de chriſti caritate quam nobis exibuit* &c. *Johannis Huſſi* Operibus inſerta *edit.* 1715. P. II. p. 8. non tamen absque omni prorſus differentia.

IV. *fol.* 165. p. 2. Excerpta ex *Auguſtino, Johanne Chryſ. Bernardo*, Concilio *Gangrenſi*, de quaerendo Regno Dei, B. V. Maria, Sacerdote fornicatore, vitandis Clerico Feminis.

V. *fol.* 170. p. 2. *Sermo Beati Bernardi ſuper Cantica* LXIV. Incipit: *Adſum mee promiſſioni. Capite nobis vulpes paruulas* &c. Ut edit. *Maur.* T. III. *col.* 1484. Accedunt absque inſcriptione *Sermo* LXV. et LXVI. Ad marginem prioris, ut in *edit.* legitur: *Triplices vulpes.* Poſterior paullo ante finem in iis verbis: *quod etſi pena eadem videretur* — — deficit.

Juvat addere *fol.* 128. Poſſeſſorem ſupra nominatum ſequentia adſcripſiſſe: *Staciones Cuiusdam Boemi Sacerdotis Wenceslai Roſſij a preſſorouia Ordinati Ytalie Mudone* (Mutinae in Italia?) *Anno* 1516. Enumerantur itaque usque ad an. 1558. varia Patriae loca, quibus ſacrum Curionem egit, inter quae et *Praga* ad S. *Martinum* et S. *Aegidium*, ſed *Piſek*, ut ait, *tenet primicias.* Ex ordinatione *Italica* Noſtri concluderem, eum ab Utraquiſtis non ſtetiſſe; video enim in Epiſtola Adminiſtratoris et Conſiſtorii *Prag.* ad *Frid. Nauſeam* inter Epiſtolas ad eum datas Edit. *Baſil.* 1550. f. L. X. p. 449. Epiſcopos *Italiae* ad unam tantum Speciem populo diſtribuendam Candidatos Sacerdotii obligaſſe.

## DCC.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 111. 4. luculente, calamo tamen diverſo exaratus, et olim *Wencesl. Roſſii*, ut *fol.* 41. his verbis teſtatur: *Sacerdos Wenceslaus Roſſius a preſſorouia a multis temporibus et annis habuit ſermones hos et ſcripſit hec anno poſt Iubileum primo Tempore regis Ferdinandi in duba Ciuitate*, complectitur *Sermones* de Tempore ſive primas potius Sermonum lineas a *Dominica I. Adventus* usque ad *Dominicam in Palmis.* Initium eſt: *Erunt ſigna in ſole et luna. Luc. 21°. In hoc Evangelio chriſtus declarat ſua* 517